

XVI. LILYBAEVM (*Marsala*).

(cf. C. I. Gr. 5495—5497b cum add. p. 1249.)

Lilybaeum oppidum Latine ethnicum facit *Lilybitanus* testibus nummis (cat. numm. Sic. mus. Brit. p. 95 n. 7. 8) inscriptis *Augu* (*Lilybit* et titulis (n. 7192. 7205. 7211. 7222. 7223. 7225. 7228. 7240. 7241) et ipso Cicerone Verr. 4, 14, 32. 5, 5, 10, modo libros sequamur, non editores qui corruperunt. Ut Carthaginiensium, qui condiderunt eversa Motye, dominationis in Sicilia quodammodo caput et sedes fuit, ita eo loco mansit etiam sub Romanis, qui maxime cum in Africa res gerenda esset, Lilybaeo fere belli ὀρυθητήριον¹ usi sunt. Quaestor tamen insulae partis occidentalis, quem vulgo statuunt Lilybaei moratum esse, non tam ibi sedem habuit quam in monte Eryce (v. p. 747). Augustum probabile est municipii ius Lilybitanis impertivisse; id enim flagitat titulus n. 7223 dedicatus genio *municipi Lilybitanorum*, potueruntque qui extant nummi cusi Lilybaei imperante Augusto alter supra citatus *Augu(stanorum) Lilybit(anorum)*, alter, quem Borghesius opp. 2 p. 208 primus emendate edidit, inscriptus *Caesar Augustus Q. Terentio Culleone pro cos. Lilyb.*, etiam a municipibus feriri, nam cognomen Augustum municipio quoque recte tribuitur. Coloniae ius Lilybitani a Pertinace demum impetravisse videntur vel in Pertinacis memoriam a Severo, ut in Ricina factum est; eo enim ducit quod in titulis duobus n. 7205. 7228 dicitur *colonia Helvia Augusta Lilybitanorum*. In quattuor aliis n. 7222. 7229(?) 7236. 7239 quod legitur *colonia Augusta Lilybitanorum* idem nomen videtur esse brevium, cum praesertim duo certe eorum tertius et quartus vix ante tertium saeculum scripti sint. — Res publica ante Romanam aetatem fortasse Punicam magis quam Graecam, qua lingua scriptos titulos vix ullos Lilybaeum dedit praeter n. 7240 τῶν δεχοριῶνων, etiam postquam Latinam formam induit in institutis quaedam retinuit sibi quodammodo propria. Magistratus sane sacerdotesque a forma communi non recedunt; adsunt *duoviri* n. 7210? 7211. 7236, fortasse etiam *duoviri quinquennales* n. 7211; item *aediles* n. 7211. 7222. 7223; *quaestores*

pecuniae publicae n. 7211. 7239; *curator frumenti publici* n. 7239; *flamen divorum Augustorum perpetuus* n. 7212. Sed quod populum efficiunt *duodecim tribus* (n. 7206. 7233), quarum una appellatur *tribus Iovis Augusti* (n. 7237), praeterea sine exemplo est, et vix minus rari sunt in lapidibus Latinis *decemprimi* (n. 7211? 7236). — Tribus populi Romani quamquam aliquot in titulis Lilybaei inventis nominantur (n. 7211. 7112. 7222. 7224. 7237), quatenam earum ipsius rei publicae fuerit adhuc ignoratur. Mansit autem oppidum etiam hac aetate in iacente Sicilia statu satis felici; ait Strabo 6, 2, 5 p. 272 sua aetate in ora meridionali praeter Agrigentum et portum eius recte stare solum Lilybaeum.

In Lilybitanis inter auctores eminent Franciscus TARDIA professor Panormitanus, cuius schediasmata autographa continent volumina bibliothecae Panormitanae Qq C 17 et E 171 et F 231 n. 8. Exhibet inscriptiones Marsalae repertas alias (cod. C 17) 'ex manuscripta historia profana civitatis Syracusanae in bibliotheca collegii 33 D. 4' (bibliotheca intellegitur Panormitana olim collegii Iesuitarum, nunc nationalis, in qua ego hoc volumen nequiquam indagavi), alias descriptas 'ante annos circiter XXXX' a Bernardo D'ANNA et a. 1749 a notario Rosario ALAGNA (qui Torremuzzae quoque Lilybitana quaedam misit) et a sacerdote Angelo GENNA (eius *annale cronologico della città di Lilibeo oggi Marsala* scriptum c. a. 1750 vidi Marsalae apud Salvatorem Struppam cum auctario quod pervenit ad a. 1801, sed mihi non profuit), alias denique a se d. 1 Nov. 1765 Marsalae ex lapidibus exceptas (haec omnia sunt in cod. E 171, quaedam item F 231). Usus est schedis his Torremuzza. — Vidi item libellum Andreae DI GIROLAMO *sull' origine ed antichità di Lilibeo dissertazione storicocritica* (Panormi 1856. 8. pp. 63). — Ex nostratibus Iulius SCHUBRING in *Philologi* vol. XXIV (1866) p. 49—82 ut de Motye et Lilybaeo diligenter egit, ita titulos edidit parum perite descriptos.

7222 litteris bonis in lapide longo palm. 7, lato palm. 1. Marsalae *nel castello nell' architrave della porta della chiesa di S. Nicolò* TARDIA. Ibidem adhuc.

M · PACONIVS · L · F · POMP · VIPSANVS · PROCVLVS
AED · AED · GENIO · COL · AVG · LILYBIT · S · P · F

Recognovi. Tardia ms. Panorm. et refert ut ipse descripsit et ut descriptam accepit ab Anna, item exemplis duobus ab Alagna. Inde Torremuzza II, 2, qui item citat Cordicis epistolam ad Carolum de Vigintimilliis; a Torremuzza Donati 347, 4 male.

7223 Marsalae in basilica D. Thomae Cantuariensis in scala sacelli S. Mariae de Hydria.

L · PINARIVS · RVFVS · OB · HONOREM
AEDILITATIS · IMAGINEM · GENII
MVNICIPI · LILYBITANORVM · EX · ARG · P · V · P · S · P

Servavit Gualterus n. 237 = 131. Inde Spon p. 184; Fabrett. 78, 91; Torremuzza I, 16 = 17; Orelli 1691.

2 fin. supplevit Gualt. — 3 ARG · VPS traditur; emendavit Henzen ad Orellium l. c.

7224 Lilybaei ante aliquot annos (ante XX circiter annos MVENTER 1822) effossum Calcagnius Panormo dono misit Hafniam ad Muentherum episcopum Selandiae HEINRICH. Extat Hafniae in episcopio.

iussu
m. LBI
M · F · OVF
POLLIONIS
OPER · C · DOMITI
5 C · F · VOT · RVFI
ALYPVS · SIMBVL
MERCVRIO
AVGVSTO

Ectypum misit Ussingius Hafniensis. Heinrich vetus inscriptio inedita ex lapide Lilybaetano Frid. Muentheri (Kiliae 1845. 8. pp. 8); Frid. Muenther epistola ad Sergium ab Ouvaroff de monumentis aliquot veteribus scriptis et figuratis penes se exstantibus (Hafniae 1822. 4. pp. 32) p. 16 (inde Orelli 5042); Kellermann descripsit.

4 *oper(a)* vel *oper(is)* opinor. — 6 lectio certa est. Vix credo duos servos nominari; immo latere videtur συμβολαιογράφος vel tale quiddam. Substitutum tamen 1 pro γ in titulo Siculo bonae aetatis magnopere offendit, possisque adeo conicere quadratarum errore scriptum esse SIMBVL pro STABVLario.